

P V I S

1 6 1 8



- |  |   |
|--|---|
| <p>Conradi Rittershusii Paraphrasis Psalmi XC nuptiis dicitur.</p> <p>II. Berzmani paraphrasis Psalmi 121. 91. 125. 124.</p> <p>III. Berzmani paraphrasis Psalmorum 22. 16. 09.</p> <p>IV. Berzmani paraphrasis Psalmi 08.</p> <p>I. Berzmani Epipemphion Psalmorum 91. 97.</p> <p>VI. Berzmani Psalmi 104. 0. 19.</p> <p>VII. Poletani Paraphrasis Prometei Iona.</p> <p>VIII. Mundorpii paraphrasis Iona.</p> <p>IX. M. Iacobi Gregorii Iona.</p> <p>X. Joannis Fabri de Nativitate Christi.</p> <p>XI. M. Theodori de Nativitate Christi.</p> <p>XII. Waltzeri Oda de Redemptionis Opere.</p> <p>XIII. Oritii de Peccatu Christi ad Inferos.</p> <p>XIV. Pomauii Heptas simulane Resurrectionis.</p> <p>XV. Stentorii ubi impudentissimis.</p> <p>XVI. Trautmanni instructio p vero Lutherano.</p> <p>XVII. Bratorii Epistola Germaniae ad Electores.</p> <p>XVIII. Moiti ex Auma ad Christianum Pr. Abbat.</p> <p>XIX. De reb. gestis Johannis Ernesti Pr. Abbat.</p> <p>XX. Henna ab Eichen ad Maunicium Pr. Episc.</p> <p>XXI. Abrahami Cremeri ad Electore Brand.</p> <p>XXII. M. Imbingeri Statulatio in Natalem Rudolphi Principis Anhaltini.</p> <p>XXIII. Moiti in Nuptias Rudolphi Pr. Pr.</p> <p>XXIV. Berzmani Ecloga Rudolphus.</p> <p>XXV. Bromii Nuptiis ratis Rudolphi Pr.</p> <p>XXVI. Wrsini et M. Jeno Nuptiis eiusdem.</p> <p>XXVII. Parentalia Augusto Electori a D. Maiore Sabita.</p> | <p>XXVIII. Epistola Johanni Ernesto Pr. Pr. Anhaltino v Alberto Voite dicitur.</p> <p>XXIX. Festschii in obitum Eiusdem Principis.</p> <p>XXX. Angeli ad Baronem de W. Pr. Pr.</p> <p>XXXI. Memoriae Damolii Diepholdii.</p> <p>XXXII. Abrahami Cremeri de promotione ad Pr. Pr.</p> <p>XXXIII. Propemptica Fyselio et Cremeri dicitur.</p> <p>XXXIV. M. Victori, cum renunciaretq Rector.</p> <p>XXXV. Oda Sapphica in Doctores Honoratus Fyselii &amp;.</p> <p>XXXVI. In Magisterii Honore Joh. Cr. Pr. Pr.</p> <p>XXXVII. Merzmanni in honorem Magisterii Coppenii XX juvenum.</p> <p>XXXVIII. M. Krotii in Magisterium Haberlandi.</p> <p>XXXIX. In Magisterium Coppenii</p> <p>XL. Bethmanni Herdesiani.</p> <p>XLI. Christiani Vopleri.</p> <p>XLII. Abrahami Theopoldii.</p> <p>XLIII. M. Coppenii Gratiam. Pr. Pr. Pr. Pr.</p> <p>XLIV. De dignitate Consulari Trevesi.</p> <p>XLV. De dignitate Notariatus Gelami.</p> <p>XLVI. Apocryphorum Politicorum Regula.</p> <p>XLVII. Nuptiis Petri a Jena.</p> <p>XLVIII. M. Pucneri.</p> <p>XLIX. M. Richardi.</p> <p>L. Wolfgangi Hanen.</p> |
|--|---|

Ec. 11





LXV  
ΕΤΦΗΜΙΑ ΓΑΜΙΚΗ

Cum adjuncta eidem Argumenti ejusdem  
Acrostichide,

*Honori Nuptiarum,*

Virtute, prudentiâ, atq; dignitate præstantis  
Viri, Dn.

PETRI MEIERI  
HAMBURGENSIS,

Illustrissimo Principi ac Domino,

Dn. JOHANNI-GEORGIO, PRINCIPI  
ANHALTINO, &c. à consiliis & secretis,

*Celebratarum Dese A. D. 14. Mens. Nov. Julian.*

CUM

Virgine lectissimâ, morumq; elegantia, ac  
formæ venustate præditâ,

ANNA-MARIA,

*Integerrimi & spectati viri Dn. JOHANNIS SCHULTHESEN,*  
*Civis ibidem primarii, & Sylvarum præfecti Anhaltini*  
*Filia unica.*

Solennis appreciationis ergò nuncupata ab iis, quorum  
suum cujusq; carmini nomen est adscriptum,

ANNO

Pietatis honos est sine Morte DeCVs.

LIPSIÆ, ex Officina typogr. Abrahami Lambergi. 1608.







**B**ellis, quod ajunt, mascula  
 Felest; favis sed musteo  
 Quæ sit liquore dulcior,  
 Si conferas hanc foemina.  
 Sic fama fert; At tetricis

Si qua est Maria, moribus  
 Quæ nomen æquet; plurimas,  
 Contra Annulas inveneris:

Amabili<sup>que</sup> nominis,  
 Quo jure gaudent, omine  
 Segratiosas præbeant  
 Suavesq; quos habent, viris,

Quot bestiis contra mares  
 Immaniores videris?  
 Quorum tyrannis in suos  
 Vincit leonis impetum?

Quòd si (quod olim Ceii  
 Thalia vatis prodidit)  
 Quædam hispida fetis sue  
 Est nata matre foemina,

Quòd si parentem hæc moribus  
 Refert feris caniculam,  
 Viro rebellis; simia hanc  
 Si mater, hanc vulpes parit;

Ex Iambis  
 Simonidis,  
 de vario  
 mulierum  
 ingenio.



Si terra quandam, si mare,  
Mustellave edit, aut equa,  
Aut cinis asellaq; procreant,  
Matris suæ quamq; indole:  
Non est tamen non editam  
Satu videre apiculæ,  
Quæ, labis expers criminum,  
Ævum marito prorogat:  
Cui consenescens, exigit  
Quos fata proferunt dies:  
Frugalis & servat domum,  
Prolis refertam examine.  
Castæ, sagaci, sedulæ,  
Cui gratiæ aspirat lepos,  
Nec pictus inficit rubor  
Obnoxias fucos genas.  
Talem sui dat numinis  
DEUS timenti comparem,  
Qualis jugalinunc coit,  
MEIERE, tecum fœdere.  
MEIERE, quem carum fide  
Princeps habet, & industria:  
Nos ter beatum ducimus  
ANNAE-MARIAE amplexibus.  
Amara quæ sortis tibi  
Amore dulci condiet;

Et



Et tincta felle tempora  
Dulcore mellis diluet.  
O detur hujus perfrui  
Longum tibi consortio,  
Cum mente sana & corpore,  
Rebusq; lautis, quod precor.

*Studio amante virtutem & integritatem*

Gregorius Bersmanus F.

E J U S D E M

Psalms CXXIX. ut putatur, Salo-  
monis; commendans omnibus hominibus, & in-  
primis conjugibus, timorem Dei, & manuum labo-  
rem, utrumq; ad vitæ beatitudinem  
summoperè necessarium.

1. **O** Ter beatum, quem timor intimo  
Tangit I E H O V A E pectore, nec sacrâ  
A lege divorsum in salebras  
Deviis insinuavit error!
2. **O** te beatum, quisquis es, aut eris!  
Nam sorte quamvis paupere sis, tui,  
Illo favente, te laboris  
Fœnusalet. Facilem ille abundè

A 3

Victum



Victum refundens, ut bene sit tibi,  
Cornuq; pleno copia suppetat;  
Rumoreq; ut vortant secundo,  
Cuncta operum tibi prosperabit.

3. Ceu vitis arctans palmite conjugē  
Vlmos maritat; ceu viridi domum  
Incingit amplexu stolonum;  
Sic tua te subolis feraci  
Stipabit uxor germine liberum,  
Mensam ambientum; termite uti suam,  
Non mentiente spem coloni,  
Arborem oliva onerans renodat.

4. Hæc sunt, I E H O V A M qui timet, hæc viro  
Promissa vitæ commoda, quæ manent,  
Eventibus rerum invidendis.  
Corde D E U M ingenuo colentem.

5. Arcis, I E H O V A, è fede Sionia  
Lauto bonorum te cumulo obruet,  
Urbemq;, qua sedem locasti,  
Commoditate beabit omni.

6. Florente pacis quò Solyma ubere,  
Atq; Israël incoli statu,  
Natosq; natorumq; tecum  
Progeniem aspicias beatam,

Psal.



Pfal. CXXVII. eodem auctore, docens omnes conatus nostros & labores, nisi à Deo adjuventur & provehantur, esse irritos.

*Nisi Dominus edificaverit domum, &c.*

1. **Q**uid cæmenta, trabes quid Libanitidas,  
Extremaq; paras marmor ab Africa?  
Doctas artificum quid redimis manus,  
Ut moles operum magnificas struas?

Nam I E H O V A sua ni jaciat manu?  
Fundamenta domus: rem, subolem, focum  
Ni divina bonis gratia sospitet,  
Solertis perit machina fabricæ.

Ni I E H O V A suis mœnia circitor  
Noctes atq; dies excubiis tegat,  
In cassum speculis excubat incola,  
Somni non capiens munera pervigil.

2. Prævertens radios manè Hyperionis,  
Et condens opera Noctiferum improba,  
Damnato penitus nil facit ocio,  
Defraudans genium ventre famelico.

Nil his proficitur: cura, labor perit,  
Vitæ carnifices; ni D E U S hos juvet  
In partem veniens, Ille suis penum  
Auget, vel mediâ nocte cubantibus,

A 4

3. Sic



3. Sic, I E H O V A, tuo munere suppetunt,  
Vrbis seminium, germina liberum;  
Fœcundante nurus cœlite gratia,  
Turget læta uteri prole feracitas.

4. Educente D E O, robore masculo  
Firmatur juvenum prompta ferocia,  
Excussa indomito qualia brachio,  
Perrumpunt calami spicula Gnosii.

5. Felicem ô quoties, qui gravidam gerit  
His telis Pharetram! non furor hostium,  
In portis patriæ bella movens fera.  
Illis degeneri cor quatiet metu.

G. B.

ἈΚΡΟΣΤΙΧΪΣ ὈΝΟΜΑΣΤΙΚῆ GRATULATORIA,  
τῶν νεογάμων utriusq; lætissimorum ornatissimorumq;  
nomina, cum nuptiarum anno  
exprimens.

**A** N N A - M A R I A tori consors tibi læta marito,  
N exu legitimo, Sponse, juganda venit.

**N** empe D E U S certa determinat omnia forte, “  
A ppendens æquâ lance cuiq; sua. “

**M** entes hinc vestras sincerior ardor amoris  
A fficit, & firmo fœdere utraq; ligat.

**R** ebus ceu mundi Verbo omnipotente creatis  
I nvenias junctam cum pare quamq; suos;

Atq;



**A** tq; **DEI** nutu somno experrectus Adamus,  
**S** uspicit è costâ condita membra sua.  
**C** onnubio Abramidæ juncta est formosa Rebecca,  
**H** aud aliter (credas) Isacidæq; Rahel.  
**U** nus ut est igitur casti **DEUS** autor amoris,  
**L** egibus & sanctis congrua vota probat:  
**T** am solet incestos reprobare libidinis æstus,  
**H** orrendis fontes & cruciare malis.  
**E** xemplo Sodoma est, fata Benjaminôq; propago,  
**S** ubversa hæc armis, ignibus illa flagrans.  
**S** cilicet est mens casta **DEUS**, castæq; vicissim. “  
**I** psus amat sancto mentis honore coli. “  
**N** on bene Josephi virtus audiret, amorum  
**N** i dominæ illecebras sperneret ille suæ. “  
**U** t vinclis igitur fuerit constrictus iniquis,  
**P** òst tamen evedtus Regis honore nitet. “  
**T** anta pudicitiam referebat præmia, tantum  
**A** ssequitur mentis dexteritate decus.  
**D** um magis attendit legis dictata **JEHOVÆ**,  
**O** bstreperet blandis quam quibus ista modis,  
**M** embris jura dabat pietas, simul ardor honesti  
**I** ngenuum pectus turpia velle vetat.  
**N** imirum sanctè jus connubiale colendum “  
**O** mnibus est, tangit quos pietatis amor. “  
**P** ETRE tuâ gaude toto nunc pectore Sponsâ,  
**E** st animæ quæ pars, corporis atq; tui.  
**T** am bene conjugibus sociantur vitibus ulmi,  
**R** oscida Setinis tam bene mella cadis:  
**O** bsequiis mulsura suis tibi vulnus amoris,  
**M** iscet ut amplexus **ANNA-MARIA** tuis.  
**E** ventura precor: suboles utrumq; parentem  
**I** ngenio referat, moribus atq; probis.

Inpri-



I n primis, patris auspiciis, affectet honores,  
 E mineatq; aliis Marte vel arte cluens.  
 R es, precor, eventu confirmet vota secundo,  
 O minibus quis enim pondus inesse neget?  
 A mborumq; D E U S non averfatus amores,  
 N estoreos annos vos superesse velit.  
 N atos natorum ut videatis honoribus auctos,  
 O fficiis fungi cum pietate suis.  
 G ratiùs hâc non est argenti pondus & auri,  
 R erum nec præstat copia quanta-libet.  
 A rdet enim illius studio quicunq; tenaci,  
 T empore eum nullo laus moritura manet.  
 I nterit argentum, perit aurum, perditur una  
 ” Æ S: PIETATIS HONOS EST SINE MORTE DECVS.  
 ”

*In significationem singularis studii  
 ac benevolentia affectionis*

Crispianus Cornerus Che-  
 ruscus F.

Allusio ad insignia Dn. Sponsi bina-  
 rum falcium, & ejusdem Cognomen.

*E Xpedias agedum falces, Meжере, gemellas,  
 Signorum auspicio, nominis atq; tui.  
 Namq; expectat eas jampridem messis amoris,  
 Legitimi consors nupta futura tori.*

Qua-



Qualem fertilibus nec jaçtat Mœsia campis,  
Nec Pharia segetes, Marmaricumq; solum.  
Frugibus illa tibi quamvis non horrea rumpet,  
At pulchrâ faciet prole, marita, patre tu.  
Quâ genus extends per semina sera nepotum,  
Cujus post obitum laude superstes eris.  
O hujus quoties messis te sorte beatum!  
Illa Togi superat, quas parit humor, opes.

ΕΤΕΟΣΤΙΧΑ.

I.

Vt CœLo fVLget LVX bls septena NoVeMbrIs  
SpeCtatVr ConIVX, sponſa pVeLLa PETRO.

II.

LVX tibi FIXa tVa Vt, ChIron; sChuLtesIa IVncta est  
AVLæ à seCretIs, ANNA-MARIA, PETRO.

Auctore eodem.

ENODATIO SYMBOLORUM ἀποβαίων  
trium Sponsi, Sponsæq;

SPONSI.

PETRUS MEIERUS Hamburgensis Saxo.

Pietas Meretur Honores Sempiternos.

Perpetuum est hoc, ut pietas mereatur honores,  
Tandem interq; soli; Christicolasq; poli.

ET

Parit Magnos Honores Submissio.

Invisus fastus terris; invisus olympo est:

Vivere submissè maçtat honore virum.

ET



ET

Piis Meritis Homo Surgit.  
*Tuta piis meritis homines sublimia scandunt:  
Impietas casu sed graviore ruit.*

S P O N S A E.

ANNA—MARIA Schultesia Dessana Anhaltina.  
Aemula Mariti Sedula Domi Ago.  
*Indefessa viri mens est in Principis Aula:  
Aemulor ipsa domi sedula, quicquid ago.*

ET

Amans Mariti Solatium Do Abundè;  
*Conjugis uxor amans prebet solamen abundè;  
Indubius fidei sicq; Maritus erit.*

ET

Ardente Mariti Saucia Dego Amore.  
*Vitam vivo ardente mariti saucia amore;  
Ille mei. Quae res gaudia mille parit.*

Studio & amore singulari erga Sponsum  
Sponsæq; Parentem. Viros honoribus orna-  
tissimos adductus, subtexui isthæc εν τῷ τῶ α-  
γόντι M. H. K. L. χαίρων τοῖς χαίροντι, Anno  
ultimæ Dei patientiæ

CeDant Vt sponsis omnia ritè, opto.

F I N I S.



*Id 4212.  
8.*

ULB Halle 3  
002 391 589



*So*

*Me*  
*1017*











64

M I K H  
gumenti ejusdem  
e,  
rum  
gnitate præstantis

**E I E R I**  
**N S I S,**  
ac Domino,  
IO, PRINCIPI  
niliis & secretis,  
*Mens. Nov. Julian.*

nq; elegantiâ, ac  
præditâ,  
**R I A,**  
NNIS SCHULTHESEN,  
præfecti Anhaltini

cupata ab iis, quorum  
n est adscriptum,  
orte DeCVs.  
*Abrabami Lambergi. 1608.*

